DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DIONYSIUS J. MAGRATH,

Hibernus.

——— Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi. Hor. de Art. Poets.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

HYACINTHO DALY,

ARMIGERO,

IN EXERCITU BRITANNICO

PRÆFECTO

DE WINTERFIELD,

IN COMITATU GALVIENSI

VIRTUTIBUS BENEFICIISQUE PRÆCLARO,

HASCE PAGINAS,

ANIMO GRATO

INSCRIBIT

AUCTOR.

Κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει.—Eschylus, Prom. l. 906.

Mais ce n'est pas tout; achevons le tableau de causes qui agitent le cœur, soit en augmentant la fréquence de ses battemens, soit en nuisant à la liberté de son action; parlons de l'influence de causes morales, et nommons les *passions*.—Corvisart. Introd.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASI.

Auctore Dionysio J. Magrath.

PRÆFANDA.

In hanc rem seligendo, non spe aliquid novi proferendi inductus sum; sed credidi, ex studio in illâ peragendâ necessario, mihimetipsi multum profore. Haec prima Medico debet esse cura; quoniam, in hoc ingenii cultissimi, et acuminis subtilissimi aevo, hic morbus per totum terrarum

orbem, hisceque praesertim in regionibus, tam diras effecerit strages. Quid animum benignum magis ad hoc propositum incitaret, quam iis esse levamini, qui ex nimia sentiendi facultate, mentes vehementius perturbantur? Quatenus, ille pigro ac hebetiori ingenio instructus animi motibus perraro afficitur.

SIGNA VEL HISTORIA MORBI.

Primus fuit Cl. CULLEN, qui hunc morbum, de quo agitur, a dyspepsia dijudicaverit; quacum omnes recentiores aeque ac veteres illum confundere soliti. His verbis definit; scilicet, "Dyspepsia, cum languore, moestitia, et metu, ex causis non aequis in temperamento melancholico." Speciem Hypochondriasis temperamento sanguineo propriam, et cujus origo penes dyspepsiam est, hae paginae non complectuntur, sed potius hanc, quae temperamenti melancholici sodalis est. In hoc morbo affectus praecipui sunt, animi dejectio gravis, de sanitate anxietas insignis, lan-

guor insolitus, inertia, ad omnem exercitationem seu corporis sive mentis repugnantia summa; de futuro praesagitio sine ratione infausta, et periculi ingentis, ullâ sine causâ, timor. Nunc, aeger, ad omnem sensum corporis insuetum perattentus est; ex quo fere levissimo maxima metuit mala, ac nonnunquam etiam, (tantum enim pavore figmenta haec mentem a loco movent,) ut mortem ipsam instantem credat. Neque illi persuaderi potest, se hac in re errare, opinionesque suas in toto falsas, et sine fundamento esse. Aliquando a talibus fere imaginariis, pariter ac veris ipsis morbis pati videtur. Novis putat periculis se perpetuo premi; semperque satagit novas fingendi causas molestiae, aut convertendi mala nullius momenti in occasiones justae, sicut ille existimat, gravisque formidinis. Sic in omnibus ab imaginatione ducitur; quae semper judicii gubernaculum tenet, ubique velit, dirigit. Hac de causâ sensus diversi nugatorii fiunt. Si teneram nervi vellicationem in extremo sentit, illico imminentem expectat mortem. Eâdem ratione alius quisque sensus conductor suae impressionis mendax est, et sic

omnia, majora, ut in tenebris prae metu, huic videntur. Hinc ratio datur pro alienis, extraordinariisque Hypochondriacorum sensationibus, narrationes quarum varii auctores faciunt. Illi nec mora nec requies a labore aliquo. Inconstantia, instabilitasque mentis insignia sunt. Ab alio ad aliud currit relictoque uno, nunquam propositi tenax ad diversum confugit. Brevi, fastidio relinquit, quod maximo ardore inchoaverat, et odio nunc est, quod modo voluptati eximae fuerat. Quaecunque dicantur vel fiant ad animum ejus levandum, ei vel offensioni sunt, vel displicent. Inter hos mentis cruciatus non fieri potest, quin corpus dolore frangatur et turbetur. Quare nullum non particeps tumultûs organum. Omnia commota sunt, functionesque eorum vitiatae. Hoc modo sedes ponitur morbi, qui paulo antea dissipari potuit. Sed hinc multo veriora et graviora symptomata oriuntur. Caput a principio affectum est ; nunc vero vita organica laborat. Inter prima ventriculus, cum aliis abdominis visceribus. Semper fere queritur Æger, se multum doloribus modo obtusis, modo acutis, vexari, cum sensu gra-

vitatis molesto, acore, inflatione, nausea, ructibus acidis faetidisque. Hæc varias inducunt sensationes, nempe, debilitatis epigastricâ in regione, cum coarctatione circa praecordia, cum palpitationibus, saepe quoque spiritû difficili.

DE SEDE, ET FINIBUS MORBI.

Cuncti pene scriptores, situm Hypochondriasis figentes aliquâ in abdominis parte esse consentiunt. Sed quae ea sit, vel ubi, nemo dicit. Ad jecur, lienem, ventriculum nonnulli referunt. Alii inferius ad colon, pancreas, et mesenterii glandes; WILLIS, SYDENHAM, cum MAUDEVILLE ad nervos vel, ut illi dicerent, ad animales spiritus deficientes. Horum opinionem rejicere non velim. Nam nervorum affectiones primarias esse, omnesque alias viscerum horum, si non secundarias, saltem subsidiarias eis esse verisimile est. Quoniam, igitur, hujus morbi sedes, imprimis in abdomine sit; necesse fit, ut quaestio oriatur, quaenam sit illa pars; nomen ipsum indefinitum, utpote in

dubio linquens, quod hypochondriacis in regionibus viscerum intelligatur. Unumquodque sua vice in errore habitum est; certè nulli proprium, secundum horum opiniones, constat. *

Primum, quod in hac indagatione investigandum est, ex quo nervorum fonte, sensibilitate suppeditentur haec varia viscera? E systemate propemodum ganglionario, seu nervo sympathetico, satis manifestum est. Quare concipere non difficile est, a variis ejus ramusculis longè lateque sparsis, nullam corporis portionem non participare, si quaevis laesa fuerit. Quid aliud evenire potest, quum sub ditione suâ omnes functiones vitales habet. Cor, systemaqne arteriale ab eo reguntur. Nexus inter ea eximius est. Haud minus super nutritionem, secretiones varias, digestionis actionem, urinaria, genitaliaque organa valet. Locus tamen

---

* Nuperrimé, tamen, nonnulli e Phrenologistis dixerunt sedem Hypochondriaseos existere, in, quod Anglicé nominant "organs of Cautiousness."—*Vid. Phren. Journal.*

est, ubi hoc systema, quasi plus concentratum videtur. Hoc centrum epigastricum emphaticè nominatum; e ganglio semilunari maximè consistit. Ad hoc omnes doloris sensationes praecipue referuntur; non in hoc morbo solum, sed fere in omnibus accidit. Nec mirum est, tam teneram, prominentemque partem a variis circumjacentibus organis multas laesiones pressuramque sustinere. Num absurdum sit, hinc colligere, ob hoc, causam stetisse, cur hanc ad regionem, omnem doloris sensum Hypochondriaci fere referre soleant? Viscera, quae ad morbum potius proclivitatem habent, sunt Ventriculus, Jecur, et Lien; Sed praecipue Stomachus, utpote inter duo nervorum systemata, quasi centrum, (si sic dicere mihi liceat,) existens. Dolorem oriri a pressura illius vel acre distensi, ut in dyspepsia, ullâve aliâ causâ, nemini non patet. Non aliter e circulatione in visceribus pigrâ, vel, venarum suarum e congestione obdurescentibus, cum aliis effectibus malis hinc ortis, effectum similem produci videtur. Pancreas scirrhosum, colon constipatum, duodenum cum aliis intestinis parvis ubilibet affectis, urina-

ria, generationisque organa; haec omnia ad aegritudinem conferunt.

Qandoquidem nulla in corpore toto pars est, in quâ non invenienda arteria, sic nulla turbatio, sine corde quodammodo implicito, existere potest. Hoc duobus modis efficitur, vel, directè aequilibrium circuitûs sanguinei interrumpendo, vel indirectè, primo centrum nervosum, denique cor afficiendo. Hinc dupliciter circulatio in visceribus interrumpitur. Illic sive in priore, praesertim ex jecore et aliquando liene; hic vero, seu in posteriori, ex consensu nervoso.

Frequentissimae sunt cordis palpitationes, et, ut eruditus Dr. GRAHAM in clinicis suis lectoribus rite observavit, pulsationes nullo non in loco abdominis aliquando inveniri possunt ab epigastricâ ad hypogastricam regionem. Hae oriuntur e pulsu vasorum grandium propter nimiam sensibilitatem aucto, et ad viscera superimposita translato. Nulla in corpore regio magis lethalis, quam epigastrica; num ex plexu nervorum, necne sub judice linquo.

Ex effectibus tamen judicare licet. Professor GREGORY mentionem fecit hominis, qui e contusione in illâ cito periit. Baron HUMBOLDT memorat, de methodo pisces electricos captandi dicens, se vidisse equos, quibus uterentur ad eos ex aquâ ducendos, frequenter a piscibus circa praecordia complexos, et sic identidem perire. Ille intrepidus et doctus vir ita explicat, eos, cum concentrassent, electricum statim impetum ad plexum coeliacum communicasse, et sic interimere.

Nunc videre licet, quam arctè socientur ingenii facultates cum vita organica. In nullis id adeo manifestum, quam in hypochondriacis, quorum si imaginatio, vel ullae aliae mentis dotes depravatae sint, extemplo illa aegrè ferre videtur, atque generoso non absimilis amico, qui in officio superando saepe in nisu sibi necem consciscit.

INSPECTIO CADAVERIS.

Horum cadavera, quos hic morbus afficit, fere nunquam a scalpello explorantur, ut natura ejus et causae patefiant, ex opinione scilicet morbum generis nervosi esse, et igitur nulla vestigia relinqui posse, quibus causa pateat, ex qua maxime pendere videatur. Attamen aliquot a variis visceribus plerumque laborant.

Sed partes quae maxime affici existimantur, sunt varii sympathetici nervi rami. In continenti, medicorum animi ad hoc praecipue versi. Inter hos M. Lobstein, qui multas in ejus gangliis morbidas mutationes invenit. Multaque signa inflammationis ganglio in semilunari, chronicorum in abdomine neuropathium indicia. Idem notavit M. Autenieth, in nervo vago aliisque. Duncan quoque observavit, illum multo majorem quam naturaliter in diabete. Putare nervos nulla morbi

symptomata unquam dare, animali in oeconomiâ mirum foret.

CAUSÆ.

In hypochondriasi impossibile est has secundum formas usitatas dividere, nempe, in causas praedisponentes, excitantes, proximamque. Ideoque non nisi generaliter de iis loquar. Inter has prima obtinere loca, causae morales videntur. Etenim, cum vires mentis in principio fractae, demum illae corporis afficiuntur.

DIAGNOSIS.

Dyspepsia et hysteria ab hoc morbo discerni debent; alii quoque inter hunc et melancholiam distinguunt; sed huic tam affinis cum levis est, ut vix distingui potest.

Dyspepsia magis sanguinea diathesi praeditos,

et a pubertate ad annum quadragesimum aetatis, raro post, aggreditur. Animus simul parum laborat, aut fortasse identidem languore fugaci, anxietate, vel timiditate levi facilèque pellenda turbatur. Contra vero, hypochondriasis aetate et habitu diversis supervenit; neque vitâ progrediente minuitur, sed potius augetur.

Paroxysmi repentini hysteriae proprii cum vehementibus subitisque animi motibus seu irâ, gaudio, metu, moerore, vel globo hysterico facile ab ea distingui possunt.

PROGNOSIS.

Quod ad vitam attinet, protinus infausta non dici potest: quod vero ad morbi felicem terminum, aegrumque iterum vitae voluptatibus gaudiisque restituendum, dubia semper erit. Hoc quoque ex affectûs diuturnitate causisque excitantibus, haud parum pendebit. Si diu hic morbus urgeat, et ex usu opii liquorisve spirituosi immodico oriatur; et

si signa dyspepsiae adjiciantur, prognosis certè infausta et fere desperata. Contra, vero, si a sedentaria vita, vel a molestiis in rebus agendis levibus, aliisve hujusmodi causis nascatur, et si recens sit, tunc prognosis nihilo secius fausta erit; aegrotusque spe bonâ erectus sanus erit, dummodo strenue fortiterque ei remediis idoneis oppugnet.

DE MEDENDI RATIONE.

Haec duplex est: Imprimis vero medicum rebus duabus, curam diligentiamque adhibere oportet; primo, ad animi motus compescendos, affectusque deprimentes levandos, qui maxime morbum fovent, imo etiam ejusdam partem maximam constituunt. Secundo, ad dyspepsiam solvendam, aliaque signa molesta, quae morbum ullo modo aggravare aut producere videantur. Ut prima parsque praecipua curationis compleatur, penitus necesse est, aegri attentionem a se suisque malis detrahendam. Medicum ante omnia operam dare oportet, ut aeger in

eo maximam rerum suarum fidem habeat. Patienter, itaque, illi in omnibus auscultet, et quamvis multa mala ex magna parte imaginaria narret, omnem jocationem evitet, risumque compescat. Contrà, animus ejus spe cito convalescendi gratâ recreandus, de qua semper tantum non desperat. Si medicamentis potentioribus nullum sit opus, ad illud innocuum, quod *Placebo* vocatur, tunc recurratur, ut mens ab illo placida reddatur.

Inter cuncta, tonica validissima sunt quae animum laetum compositumque reddunt. Sine his omnes conatus nostri pro nihilo sunt.

Quaecunque vel olim, vel nunc voluptati fuerint, ad illa, si potest, ut revertat, summa ope niti debemus. Occupationem aliquam amoenam hora diei quaeque inducat. Nunquam non in aliquod intentus. Semper aliquo instructus sit, quod animum occupet oblectetque. Circa haec dispersas palantesque mentis opes cogit. Etiamque, dummodo conditio aegroti, et animus permittant, voluptates occupationesque quaedam rusticae multo ex usu erunt, veluti pisca-

tus, aucupium, venatio, horticultura, res herbariae, et alia plurima ; omnibus antecellit equitatio quotidiana. Societas amaena multo ex commodo erit ; huic musica addenda. Artibus mechanicis, si his ingenium proclive sit, saepe se conferat. Navigatio multum ei prodest, praesertim si in naviculâ sit, aegerque ipse vel clavum tractet, vel remum impellat.

Quae ad secundam spectant ; ventriculus persaepe afficitur, sed jecur vix unquam in his casibus, ut peritus ABERNETHY demonstravit, a congestione, aut alia obstructione liberum est ; itaque quam ad haec organa perattenti esse debemus ! Quae fere pro his ab illo solerte chirurgo praescripta sunt, pulveris rhei palmati grana pauca ante cibum stomachi gratiâ, et hepatis, paululum massae pilulae hydrargyri ; sed hoc cum colocynthidis pilulâ compositâ mixtum nunc multum laudatur in viscerum obstipatione amovendâ. Antispasmodica subinde necessaria sint. Haec, modo nulla sit in aliis visceribus affectio organica, cum supra memoratis, plerumque pollent, ut valetudo bona resti-

tuatur. Sitque omnium maxima felicitas, nempe, "Mens sana in corpore sano."

FINIS.